



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

4. Secundum quas partes vinentis fiat augmentatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

non nego quin, vt augmentetur quis, debeat necessario interuenire actio distincta ab actione, qua viuens aggenerat sibi partem substantialem: nam debet sine dubio esse actio illa, per quam producit de nouo quantitas à composito de nouo producto, vel actio continuatua quantitatis, quæ est coæua materiæ; sed negat conclusio duas actiones debere esse in nutriente, per quas nutriat & augmetur se.

16. *Obicitur secundo:* augmentatio consistit formaliter in actione, per quam viuens coniungit suæ quantitati maiorem quantitatem: sed illa actio est in viuente augmentante se, & distinguitur ab actione, quæ terminatur ad substantiam aggeneratam, quandoquidem hæc posset esse absque: illa ergo nutriendi, dum augmentat se, habet duas actiones realiter distinctas.

Respondetur nutriendi non debere habere actionem particularem, per quam coniungat sibi quantitatem distinctam ab actione, per quam coniungat sibi partem substantialem, in qua est quantitas subiectata, siue in materia istius partis, siue in tota illa parte; nam eo ipso, quo coniungit secum substantiam illam, coniungit secum omnia coniuncta isti parti.

Vnde in forma respondetur, permittitur maiori, negando minorem pro secunda parte, ad cuius probationem dico quod quamuis possit actio coniungens substantiam esse absque eo quod coniungatur quantitas; tamen non inde sequitur, quod detur alia actio in nutriente; per quam coniungat sibi quantitatem; sed solum sequitur quod actio coniunctiua substantiæ non habeat à se ipsa præcise esse etiam actio coniunctiua quantitatis absque dependentia ab aliqua conditione.

Dicitur: nullam conditionem sufficere posse absque alia actione nutriendi: ergo.

Respondetur negando antecedens: nam sufficit pro conditione, quod quantitas inhæreat parti illi substantiali, quæ conditio haberi potest absque eo, quo nutriendi, & augmentans se habeat aliam actionem, vt patet.

CONCLUSIO III.

17. *Si capiatur nutritio, & augmentatio passivè, pro respectu, à quo habet, & substantia nutriti præcedens nutritionem coniungi cum parte substantiali aggenerata per nutritionem, & quantitas ipsius coniungi cum quantitate in ea parte subiectata, sunt mutationes realiter distinctæ.*

Probatur, quia reuera quantitas præcedens vnitur immediate quantitati de nouo acquisitæ sic, vt posset cum ipsa manere vnita, quamuis destrueretur vtrique substantia, & etiam substantia præcedens vnitur parti substantiali acquisitæ sic, vt posset sic manere vnita, quamuis destrueretur vtrique quantitas: ergo quantitas præcedens habet respectum vnionis particularis ad quantitatem acquisitam distinctam realiter à respectu vnionis, quem habet substantia præcedens ad partem substantialem de nouo acquisitam; & consequenter si capiatur nutritio, & augmentatio pro his respectibus, erunt mutationes realissime distinctæ. Et iuxta hoc forte posset reconciliari diuersæ sententiæ, quæ sunt de distinctione reali nutritionis, & augmentationis, dicendo quod qui volunt eas distingui, loquantur in sensu huius conclusionis; qui vero nolunt, in sensu præcedentis conclusionis.

QVÆSTIO IV.

Secundum quas partes viuents fiat augmentatio.

18. Certum est experientia, quod nullum sit membrum viuents, nec caput, nec pes, nec os, nec vena, quæ non indigeat nutrimento, & non crescat, ac augmentetur vsque ad determinatam aliquam ætatis periodum. Vnde corpus viuents ita est à natura formatum, vt plenum sit poris, & venis vndeque versum, per quos sanguis ex cibo post plurimas alterationes generatus ad omnes eius partes deferri possit ad quamlibet iuxta indigentiam suam, admirabili seruata proportionem.

Quia ergo membra viuents, vt & ipsum viuens, constant, & partibus integralibus, & essentialibus, quæstio

hæc non est de partibus essentialibus, quia certum est quod quoties augetur, ac nutritur viuens quodcumque constans anima diuisibili, non solum augetur quoad corpus, sed etiam quoad animam; quando autem nutritur viuens constans anima indiuisibili, quale est in nostra sententia solus homo, augetur tantum quoad corpus, non vero quoad animam secundum se, licet etiam augetur quantum ad extensionem vnionis animæ ad partes corporis de nouo acquisitas. Est ergo quæstio potissimum de partibus integralibus. Hæc autem sunt in duplici differentia, nam quædam sunt homogeneæ, quæ integrantur scilicet ex partibus eiusdem rationis, vt caro, os, nervus; quædam heterogeneæ, quæ scilicet constant partibus diuersæ rationis, vt digitus constans carne, pelle, ossibus, & nervis, ac iuncturis.

19. In hoc secundum *Ruinum* hic q. 7. omnes conueniunt, quod licet viuens augetur secundum omnes partes, hoc tamen ita fit, vt primo augetur secundum omnes partes homogeneas, & ratione harum augentur heterogeneæ, quia scilicet heterogeneæ constant ex homogeneis, & non requirunt aliud, vt augeantur, quam vt augeantur homogeneæ, ex quibus coalescunt.

Verum quamuis hoc vltimum sit certum, quod scilicet eo ipso, quo augentur homogeneæ, augeri etiam necesse sit heterogeneas; cum tamen totum integrale, siue heterogeneum, siue homogeneum, non sit quid distinctum à partibus simul sumptis, & vnitis, vt ostensum est primo Physicorum, non videtur prius proprie loquendo augeri partes homogeneas, quam augentur heterogeneæ; imo eo ipso quo intelliguntur partes homogeneæ simul augeri, intelliguntur etiam partes heterogeneæ augeri.

Confirmatur hoc, quia si partes heterogeneæ non augeantur per se primo, sed secundario ob augmentum partium homogenearum, ex quibus coalescunt, etiam partes homogeneæ non augerentur per se primo; sed secundario ratione partium homogenearum, ex quibus constant: ergo eodem modo discurrendum est de vtrisque, & sic nihil est particulare hic dicendum de partibus heterogeneis magis, quam de homogeneis.

Nec obest fundamentum Ruini ex Philosopho desumptum hic c. 5. text. 35. dicente: Ea quæ sunt dissimilium partium augentur, quia ea quæ sunt consimilium partium augentur. Hinc enim non sequitur, quod prius partes similes omnes augeantur, & postea partes heterogeneæ.

CONCLUSIO I.

Non nutriuntur immediate omnes partes minima, & indeterminata viuents. Hæc est communior cum *Scoto* in 4. dist. 44. q. 2. *Probatur* argumento ipsius, quia alias in qualibet nutritione, & augmentatione notabiliter augetur homo.

Probatur secundo: quia illa pars augetur immediate, cui immediate applicatur alimentum in poris, & quæ ambit immediate porum; sed non omnis pars minima immediate amittit porum, nec omni tali consequenter immediate applicatur alimentum: ergo non omnis talis immediate nutritur.

CONCLUSIO II.

22. *Non potest assignari vlla pars, quæ secundum se tota immediate augetur, ac nutriatur.* Hæc debet esse communis, & patet, quia omnis pars assignabilis est diuisibilis in plures partes, quoad omnem dimensionem: ergo nequit alimentum applicari immediate vlli tali parti secundum omnes partes in illa inclusas; nec etiam pars de nouo acquisita potest immediate vniri ipsi secundum omnes partes.

CONCLUSIO III.

Quæcumque pars determinata assignabilis in viuente potest dici augeri immediate ratione sui in hoc sensu, quod non augetur propter augmentum vllius alterius partis extra ipsam collocata. Hæc videtur esse iuxta mentem *Detherii* supra.

Probatur manifeste, quia non potest assignari vlla pars determinata, quæ non crescat independentem ab accretione vllius alterius partis.

Quæres,

*Nutritio
fit successiue
& continuè.*

*Non prius
augentur
homogeneæ
partes, quam
heterogeneæ.*

*non præterit
immediatè
omnes
partes minimæ.*

*nō potest
aliquæ
vlla pars
augeri
immediatè
secundum
se totam.*

*Quomodo
omni
pars de-
terminata
possit
dici au-
geri.*

Quomodo se habeat augmentatio, & diminutio ad inuicem.

Respondetur, si loquamur de diminutione, quatenus est negatio conseruationis substantiæ, ac quantitatis quæ deperditur, quando dicitur diminui viuens, esse mutationes distinctæ speciei, cum vna sit positiua, & altera negatiua.

Et si quæras, quænam mutatio positiua connectitur cum diminutione.

Respondetur, illam, quæ ex viuente diminuto producantur aliæ substantiæ, vt sudores, rheumata, & similia. Si vero loquamur de diminutione, quatenus est acquisitio minoris partis substantiæ, ac quantitatis, quam per actionem causarum destruentium deperduntur, est eiusdem speciei cum augmentatione eodem modo quo generatio ignis bipalmaris, ac tripalmaris, nec in hoc est difficultas vlla examine vltiori digna.

QVÆSTIO V.

Verum nutritio, & augmentatio sint motus continui.

21. **N**on est in controuersia an viuientia semper diu uiuant nutriantur, & augmententur absque vlla intermissione, certum est enim quod non; quia non semper applicatur ipsis materia sufficienter disposita, ex qua nutriantur, & augmentantur quoad omnem dimensionem in hominibus non fit ultra trigessimum annum secundum omnes, id quod & experientia constat; imo secundum Hippocratem non fit, nisi vsque ad annum vigesimum secundum, & secundum alios ad annum vigesimum quintum. Difficultas ergo hic examinanda est, an quando quis se nutrit, & augmentat, id faciat motu continuo, & successiuo, an vero motibus instantaneis interruptis per aliquas morulas. Quia in re qui putant alterationem esse motum instantaneum, sine dubio idem dicent de augmentatione, & argumetari bene possunt ex eo quod alteratio sit instantanea, quod etiam augmentatio sit talis: cui argumento responderi debet ab aliis negando antecedens.

Prima sententia est nutritionem, & augmentationem esse motus instantaneos: ita *Toletus hic quæst. 11.* citans pro se *Auerroem*, & *Albertum Magnum*: *Hurtadus*, & *Arriaga hic disp. 3.*

Secunda sententia est eos esse motus continuos, ac successiuos: ita *Ramus hic qu. 3.* *Complutenses hic disp. 5. q. 8.* citantes pro se *Philosophum*, ac plures alios.

CONCLUSIO I.

22. *Qualis motus est nutritio, talis est augmentatio*. Hæc est contra aliquos qui putant nutritionem esse motum instantaneum, augmentationem vero esse motum continuum.

Probat: quia quantitas maior non acquiritur, nisi quatenus acquiritur pars substantialis maior, in qua subiectatur quantitas: ergo si pars illa substantialis maior acquiritur instantaneè, & quantitas similiter acquireretur, si vero acquiritur successiuè, similiter acquireretur quantitas.

Confirmatur, quia quantitas, quæ acquiritur per augmentationem, non subiectatur in hæsiue in substantia præcedenti, quæ augetur, vt omnes concedunt: ergo subiectatur in alia substantia acquisita: ergo non potest acquiri, nisi acquiratur illa substantia, & consequenter eodem modo debet acquiri quo acquiritur illa substantia.

Confirmatur secundo: quia illa substantia, quæ acquiritur per nutritionem instantaneè, secundum aduersarios, in illo instanti reali, quo acquiritur, non potest esse absque aliqua quantitate: ergo habet aliquam quantitatem: ergo tum acquiritur quantitas, & consequenter motus ad quantitatem illam debet esse instantaneus: ergo nec debet expectari tempus aliquod sequens, vt acquiratur illa quantitas.

Ex probatione huius conclusionis apparet eos, qui probant nutritionem esse motum successiuum, quia augmentatio est successiuæ, reuera probare incertum per æquæ incertum, aut minus certum: nam quamuis omnino talis de-

beat esse augmentatio, qualis nutritio, & e contra; reuera tamen quando quidè augmentatio quatenus est acquisitio quantitatis sit consequenter ad nutritionem, cum eatenus acquiramus quantitatem, quatenus acquirimus partem substantialem nouam, in qua in hæret quantitas, prius debemus cognoscere an acquiramus partem illam substantialem in instanti, quam possimus cognoscere, an acquiramus quantitatem in instanti. Vnde melius longe probatur augmentatio esse instantanea, aut successiuæ, ex eo quod nutritio sit talis, quam e contra.

CONCLUSIO II.

23. *Nutritio sit successiuæ, & continuo, non vero in instanti, per morulas interruptas, & consequenter sic sit augmentatio*. Hæc est iuxta secundam sententiam contra primam.

Secunda pars patet ex conclusione præcedenti.

*Probat*ur prima pars primo, quia eadem ratio successiuæ continuæ reperta in alteratione, reperitur etiam in nutritione: sed alteratio ob illam rationem est motus continuus successiuus, vt probatum est supra, & fatentur aduersarij præter vnum *Arriagam*: ergo idem dicendum de nutritione.

*Probat*ur maior, quia successio continua in alteratione oritur ex diuisibilitate qualitatis ad quæ fit, & qualitatis quæ expellitur diuisibiliter per illam: sed forma substantialis acquisita per nutritionem est diuisibilis, & habet incompatibilitatem diuisibilem cum forma substantiali, quæ per illam expellitur: ergo.

Confirmatur: quia alteratio non solum est motus successiuus secundum intensionem, sed etiam secundum extensionem: ex eo, quod forma ad quam fit, & forma, quæ per illam expellitur, sunt diuisibiles non solum quoad intensionem, sed etiam quoad extensionem: sed forma substantialis acquisita per nutritionem est diuisibilis quoad extensionem, & forma per illam expellenda, licet non sit diuisibilis quoad intensionem, est tamen quoad extensionem: ergo nutritio debet esse motus successiuus extensiuus, licet non intensiuus.

Confirmatur secundo: quia si non esset motus successiuus, maxime, quia motus successiuus non posset dari ad substantiam: sed hoc est falsum, vt patet experientia straminis, quod successiuè cõbaritur, & conuertitur in ignem absque vlla intermissione, quantum potest per sensum colligi, cui debet se conformare intellectus, quando non habet rationem aliquam in oppositum, quæ corrigat deceptionem eius, qualis non habetur in proposito.

24. *Probat*ur secundo: si nutritio fieret in instanti, posset Deus determinare primum instans in quo fieret: sed hoc est falsum: ergo.

*Probat*ur minor: quia antecedenter ad quodcumque instans assignabile, esset verum quod fuit facta nutritio: ergo instans illud, quod assignaretur à Deo pro primo, non esset primum.

*Probat*ur antecedens: quia materia illa, in quam introduceretur forma nutriti est diuisibilis, & alteratur vni-formiter difformiter ab agente alterante: ergo prius agens disponit partem proximiorē quā remotiorē: sed in quocumque instanti in quo disponitur vlla pars materiæ, forma nutriti debet in ipsa introduci: ergo ante illud instans fuit nutritio.

Aduersarij ad hanc probationem respondent eam retorquendo: quia si ex eo quod agens naturale vni-formiter difformiter disponat materiam, sequitur quod non possit assignari aliquod instans, ante quod non fieret nutritio, & consequenter quod nutritio sit successiuæ, similiter sequitur quod idem dicendum sit de ipsa prima generatione, ad quam etiam similiter disponitur subiectum per alterationem continuam successiuam vni-formiter difformiter factam: sed hoc est contra authores qui tenent nostram conclusionem: ergo sicut negarent hanc consequentiam de prima generatione, non debent eam virgere de nutritione, nec mirari, si eam virgeant, quod negatur. Hæc sane est optima responsio, quæ dari potest ad hanc probationem.

25. *Replicatur tamen communiter ostendendo* disparitatem, nempe quod forma viuientis determinet sibi, quæ-

Nutritio
& augmen-
tatio pas-
siva sunt
duæ actio-
nes.

Qualis
motus est
nutritio
talis est
augmen-
tatio.